



Philippus natus est in oppido Bretta Electoris Palatini ditionis 16 Februarij hora 7 post meridiem, anno 147 parētes habuit honestos Georgiū Schuwartzerd Heidelbergensem, atq; Philippi Palatini armarium primarium, & Barbaram Reüterin Bretanam, Ioannis Reüteri eius oppidi prætoris filiam. Illi cum præclarum filij in dolem cognouissent, ipsum in bonis literis educandum censuerunt, atq; in Brettana schola prima fundamenta ponere iusserūt. Cum autem pater ob principis negotia sacerdos abesset, filium socero commendauit, atq; ut eius curā susciperet, petiit. Itaq; maternus avus Philippū domi suæ aluit, atq; Ioannem Hungerum à Pfalheim priuatum & domesticum præceptore constituit, præsertim cum morbus Gallicus passim uulgò grassaretur. ab eo rudimenta Grammatices & cantiones Ecclesiasticas feliciter didicit. Cum autem avus atq; pater eodem anno 1508 fato fungerentur, Philippus undecim annos natus Pfortzheimium ad Iohannis Reüchlinis sororem (quæ cognata erat) transmissus, ut à Ioanne Simlero Vuim pinensi uiro docto, qui in eo loco celebrem scholam erexerat, in literis instrueretur. Accidit autem ut Reüchlinus sacerdos Pfortzheimium ueniens suam sororem inuiseret. Is Philippī ingenio perspecto currenti equo calcaria addidit, atque uaria literaria munera obtulit, utpote pileum Doctoralem, quem in Italia acceperat, atq; Grammaticam Græcam, quæ tum difficilimè comparabatur. Tum etiam Iohannes Hilteprant priuatum Græcam linguam docere incipiebat. huic cum præclarum operam Philippus nauaret, Reüchlinus quoque uocabularium Græcum est pollicitus, ea tamen lege, ut uersus aliquot à se scriptos, cum rediisset, offerret. Vnde Philippus sese diligenter in Poëtica & Græca lingua simul exercuit, atq; re ferè puer in honorem Reüchlini cognati comœdiā scripsit, & in eius præsentia egit, personis conuenientibus ad id electis, inter quos etiam Franciscus Irenicus erat, celebris postea Germania Historicus.